BEDA VENERABILIS
Admont, 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26210
Copyright: Admont, Benediktinerstift



178

nemo mi affuit. sed omnes me dereliquerunt. non illis imputetur.
Potest autem peccatum ad mortem. peccatum usque ad mortem accipi. pro
quo rogare quempiam uetat. quia scilicet peccatum quod in hac uita
non corrigitur. eius uenia frustra post mortem postulatur. Verum si
sequentia diligenter inspicimus. magis superior sensus huius lec
tionis tenori congruere uidetur. Nam subditur. Omnis iniquitas
peccatum est. et est peccatum ad mortem. et cetera. Tanta enim inquit di
uersitas peccatorum. ut et omne quod ab equitatis ratione discrepat
inter peccata numeretur. quamuis minima peccata iustis sue
iusticie meritum nequaquam auferre uel minuere possint. illa
deum taxat sine quibus hanc uitam transire nullatenus ualent. et tamen
quedam peccata tantum ab omni iusticie discordent sorte tanta
iniquitate patrentur. ut absque ulla contradictione factorem suum
non corrigantur. eternam mergant in penam. De qualibus scriptum est. Ani
ma que peccauerit. ipsa morietur. Qua beati iohannis sententia
manifeste repudiatur inepta stoycorum disputatio. qui dicere ausi
sunt contra omnem humani generis sensum. et affirmare quod omnia
peccata sunt paria. dicentes nichil distare utrum hominem quis
furatus sit an bouem an gallinam. quia non animal crimen fecerit.
sed animus. quos iouinianus secutus est hereticus. astruens nullam
nuptiarum et uirginitatis esse distantiam. non abstinentes in aliquo
retributionis priuilegio simpliciter epulantibus esse preferendos. Omne
itaque quod iniqui committitur ad peccatum est referendum. Sed sunt
peccata quedam ad mortem. de qualibus dicit apostolus. quomodo qui talia
agunt regnum dei non consequentur. Scimus quomodo omnis qui natus est
ex deo non peccat. peccatum uidelicet ad mortem. quod et de omni cri
mine capitali. et de illo specialiter potest intelligi. quo uiolatur